





# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

## QUÆSTIO MEDICA,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-sextâ mensis Martii, anno Domini* M. DCC. LXV.

M. ALEXANDRO-DIONYSIO DIENERT, Doctore Medico, Præside, Theseos Auctore.

*An Parisiis à lacte valetudinum malarum Ilias?*



QUA epota, aut alii liquores, ventriculis animalium inquilini, postquàm plantarum succos diluerunt & carnium gelatinam, in chymum convertuntur; is brevi tempore novis corpusculis dives chyli nomen accipit, qui paulò post in mammis secretus, lac appellatur. Organa lactea multis concessit animalibus omnipotens Naturæ Artifex. Intelligere in promptu est cur aves, insecta & pisces ferè omnes (*) tam pre-

(*) Balæna fœmina duas habet mammas quas Alumnis præbet suis. *Lem. Tr. univ. des Drog.*

tioso munere careant. Quantùm homini suum & animalis lac prosit ubi optimum est, probari mihi videtur optimâ valetudine primorum Adami nepotum, Hebræorum Patriarcharum, priscorum Romanorum Principum & cæterorum qui inter aratra & armenta vitam agrestem degebant; quippe qui & præsertim ipsorum alumni lacte multo & excellentissimo utebantur. Utinam in urbe quæ supra alias caput extulit, ubi tot homines sunt qui hoc potu alimentario & medicinali indigent, lactis non degeneris abundantia esset!

## I I.

AQUA, lac & vinum potus sunt longè omnium utilissimi. Illa variis nominibus mutuò sese antecedunt & ex ipsis quod nocet uni prodest alteri. Si is consideretur hominum ordo, quorum classis una infantes, alia senes, & media mediæ ætatis homines comprehendat, lac infantibus, senibus vinum, & cæteris aqua convenire ut plurimùm videbitur. Primi enim potu qui nutriat, corroborante senes, humectante alii imprimis indigent. Dum admiramur robustum adultorum corpus & viscerum vigorem, quo alimenta & potus quoscumque in bonam valetudinem convertunt, animadvertere debemus debilium sortem quibus omnia nec placere nec salubria esse possunt. Infantum viscera nativum fovent ignem qui in dies propriis augetur viribus, ita ut illi temperamento potiùs indigeant quàm irritamento. Senibus è contra caloris accessio quotidie nova fiat necesse est. Idcircò lac aliis, aliis vinum à naturâ concessum. Quanti ergò momenti est educatio præclaræ infantum multitudinis in quâ nititur Regni virium spes dulcissima, tanti refert lactis optimi copiam illis præbere & istud avertere quod malum est.

## I I I.

LACTIS quo utuntur Parisiis non una est conditio. Hæc distinguamus 1°. lac vaccarum quæ velut in carceribus stabulantur numquam exituræ, nisi semel ut laniis jugulum dent, cùm ob pinguedinem nimiam lactis secretioni minùs idoneæ factæ sunt. Atqui latissima est hæc classis: comprehendit enim omnes quæ in urbe & suburbiis & permultas quæ in vicis vicinioribus aluntur. 2°. Lac vaccarum in vicis à Lutetiâ tantulùm distantibus degentium, quæ per vias virentes, per agros & colles à Bubulcis quotidiè circumducuntur. Hæ non adeò pingues ac priores apparent, sed mammis uberioribus præditæ nitent ob aeris integritatem & pascuos agros quibus gregatim fruuntur. Earum autem lac sæpissimè pridianum est die ipso quo hîc venditur, ita ut ni jam acidum tantispèr sit,

ad acidam fermentationem propiùs accedat. Iſtud cremorem peperit ſuum, quem ſublatum *Lactariæ* ſeorſim vendunt. 3°. Lac deterius adhuc ab avaritiâ efficitur. En hoc illud eſt artificium quod ſecretò adhibent. Mercatrices minùs irreligioſæ lacti hodierno ſolùm addunt pridianum, cujus cremorem ferè omnem ſecreverunt, ut modò diximus; & hujus lacteæ mediocritatis aliquanta bonitas ab aliis ultra modum imminuitur, dum aquam lacti jam macriori admiſcent. Cùm autem præviderint fore ut aquæ nimiæ cum lacte conjunctio fraudulenta detegeretur, quoties ob ponderis diverſitatem lac ſuper aquam præſertim inter ebulliendum enataret, ad artem doloſam confugiunt. Aliæ aliquot ovorum vitellos aquâ multâ diluunt & illicò in lac fundunt agitando. Aliæ multò plures permodicam capiunt farinam, cujus ope aquæ copioſæ lentorem neceſſarium conciliant & vinculum quo lac aquæ copulatum ſurſùm, deorſùm & ubique in vaſis ſtet. Quid de tali adulteratione ſentiendum?

## IV.

INGENTISSIMUS eſt numerus pauperum mulierum quæ alumnis vaccino lacte nutriendis circumdantur. Pecuniâ quam improbo labore modicam quotidiè merent, lac emere coguntur. Sors earum ſanè lugenda, quæ pecuniam cariſſimam pravo lacte permutant, non ſine teneræ prolis incommodo. Puls quam ex iſto conficiunt, infantulos malè nutrit. Horum vultus pallet: vires languent & multorum conſtitutio cachochymica manet. In hâc urbe veſtigiis ferè ſingulis occurrunt lymphatici morbi, qui frigidi humores vulgò nuncupantur, dolores rheumatici & arthritici, pulmoniæ, ſanguinis lentores ſcorbutici & aliorum affectuum chronicorum Ilias. Cùm autem nihil ſit lacte familiarius ad præcavenda & deſtruenda iſtorum morborum germina, non dubitandum eſt quin lac debilitatum aut immutatum affectus illos augeat nedùm depellat, dum habet pro ſeroſâ parte aquam, pro caſeosâ farinoſum gluten, pro butyro vitellos ovorum, pro re balſamicâ vapidam, denique pro ſale dulci acorem imminentem. Huc accedit, quod ſerum lactis clarificatum, quotidiè in acutis morbis & in pleriſque chronicis à Medicis præſcriptum ipſorum & ægrorum voto non ſatisfaciat, cùm aquam multam contineat.

## V.

UT lac quod venderetur meliore polleret conditione, pluris id conſtare deberet. Hoc commercium mulieres obtinent quæ illo vix ſe ſuſtentant. Lac merum ſolito pretio vendi ſine jacturâ non poſſe inquirenti

patebit. Sapientissimis quibusdam merum, sed pluris vendere, pro religione placet, dum cæteræ non nisi medicatum circumferunt. Exemplum priorum posteriores sequi deberent. Hìc ergo oportere mihi videtur ut boni publici utilitas juvantibus viris à Rege præpositis difficultates omnes superet. Medici est qui ad omnium salutem comparandum toto animo incumbit, monere populos ut vitent potus & alimenta nociva, necnon indicare quid sumere securi ac tuti possint. Ne objicias à me hìc rem minimam inutiliter amplificari. Etenim illa quæ ad sanitatem urbis & orbis pertinent, licet in se minima, maximi momenti erga populum sæpè fiunt, eò quod inter effectus tùm aeris tùm alimentorum, ponderis levissimi accessione, æquilibrium valetudinis sæpè corruit. Quapropter susdequè non habenda est nostra propositio quâ juvat concludere adversùs illos qui jactitabunt lac Parisiense cujus formosa species, etsi candeat, comitem facultatem quâ satis vigeat infantum & infirmorum cerebrum, non habet.

*Ergò Parisiis à lacte valetudinum malarum Ilias?*

Proponebat Parisiis ANDREAS-BLASIUS PELÉE DE VALONCOUR, Senonicus, Regiæ Societatis Agrariæ Parisiensis, quoad Agrum Senonensem Socius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1765. A SEXTA AD MERIDIEM.

---

Typis F. A. QUILLAU, Universit. & Facult. Med. Typographi, 1765.